

1604

rudem gentem flecteret, id neque Gallicis neque Venetis foederibus adversum esse contendebat; quod Henrico in Italia nullae ditiones essent, ad quas recuperandas cum exercitu proficisceretur; quodque ad Venetos tantum bello laceffitos defendendos, non ad arma in alios inferenda foederis praescripto obstringerentur. At vix Padavinus in Rhætiam pervenerat, cum Herculem Salicem Rhæti Venetias legatum mittunt. Is, quo loco eorum res sint, quot post percussam foedus incommodis afflicterentur, explicat: *Commercia ab Fuentano, quo unico sustententur, interdicta: sterili atque infecundo solo, annonam ex finitimis regionibus comparare assuetis facultatem ereptam: in eorum cervices arcem excitatam: vehementer turbatos commotosque Rhætos esse; quodque haud dubium exitium portendere videatur, civiles nuper dissensiones exortas, quibus misere laceratam discerptamque eorum rempublicam, ni praesto amici sint, in praecipitum ituram: eo tam afflicto ac prope perditum suarum rerum statu, se potissimum designatum, qui consilium, opem petat, exoret: id cum pro nuper icta jurejurando societate, tum pro ipsiusmet Reipublicae beneficio atque incolumitate efflagitare. Quid enim, si Rhæti concidant? an non eorum casu exitio cunctis Italiae Principibus cladem vastitatemque imminere? Itaque alterum ex duobus petere, vel foedera quae neque Gallicis neque Venetis officere videantur, interpretari ac moderari permittant, quo publica pax ac tranquillitas minime inturbetur; vel, si secus sentiant, auxilia, pecuniam suppeditent. Quod si e re communi sit, ut in eorum finibus propugnaculum extruatur, ad id conficiendum sumptus subministrent.* Senatus consulto breviter responsum: si pactis Rhæti stent, neque quidquam foederibus adversum moliantur, omnem opem auxiliumque praebiturum. In eandem ferme sententiam oratori, quem eodem tempore in Galliam Rhæti miserant, Henricus respondit.

*Hercules Salices, a Rhæti orator Venetias missus, ejus expositio.*

*Senatus responsum.*

Ab Helvetiis insuper, qui Badam de more convenerant, consilium auxiliumque Rhæti exposcentes, ejusmodi responsum, ut aliquam concordiae cum Fuentano rationem inirent, tulere: licet ab iis, quos sibi Fuentanus in Rhætorum gente conciliaverat, ad ejusmodi consilium exhibendum impul-